



Sigismundus Vuiennæ ex patritia familia natus est, anno circiter 1531. Is cum felici ingenio frueretur, parentum consilio operam literis dedit, atq; prima rudimenta facilimè percepit. Inde uerò in academiæ album receptus, artibus & linguis incubuit, atq; earum præclaram notitiā acquisiuit. Dein de legum studia priori eruditioni coniunxit, & earum usum sibi familiarem reddidit. Ad hāc eius industriam accedebat religionis amor, atq; uite innocentia. Hactenus uerò in Vuiennensi Academia Graduum candidati in uerba Romani pontificis iurabāt, atq; sese Romanæ ecclesiæ obtemperaturos iuramenti affirmabant. Id autem cum Sigismundo difficilimum esset, apud eius facultatis Doctores impetravit, ut id ipsi primo remitteretur. Itaq; cum Imperatoris interuenisset authoritas, constitutum ut posthac candidati pollicerentur, sese Catholicae & Christianæ Ecclesiæ semper subscripturos & obtemperaturos. Id quod pietatis cultores hanc grauatim præstant. hoc modo Eyslerus Doctoralia insignia sibi comparauit, atq; sua eruditione & pietate omnibus doctis innotuit. Ea ratione is etiamnum pergit, atq; procul dubio suis uirtutibus efficiet, ut ipsius nomen non modo huic seculo, sed etiam posteritati futurum sit gratissimum.

C. Her.